


CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

NOTITIAE



IANUARIO-APRILI 1965

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

Resp.: Ad munus lectoris: Assumi potest a ministrante, etiamsi non est clericus. Quando non habetur ministrans, lectiones et Epistola legantur, secundum n. 46. *Ritus servandi*, ab ipso celebrante (cf. « Notitiae » p. 139-140, n. 16).

Ad munus commentatoris: Generaliter sufficit, ut secundum *Instructionem* S. C. R. diei 3 sept. 1958 n. 96, a) « mulier cantum aut preationes... quasi ducat ».

Ad nn. 46-57:

50. Utrum liceat legere Evangelium e sede praesidentiali, e qua etiam pronuntiatur homilia?

Resp.: Servetur *Ritus servandus* nn. 46 et 47: « ... celebrans legit vel cantat etiam lectiones et Epistolam in ambone vel ad cancellos... Stans deinde in eodem loco... cantat vel legit Evangelium. Si tamen non habetur ambo aut magis opportunum videtur, celebrans potest omnes lectiones etiam ex altari proferre versus ad populum ».

Ad n. 60:

51. Utrum acolythi non amplius incensari debeant in Missa sollemni a thuriferario?

Resp.: Considerentur incensati cum illa parte chori, in quo stant acolythi.

Ad n. 83:

52. Utrum in Missa sollemni ministri communicandi genuflectere debeant in ore suppedanei, an stare possint in plano ante altare?

Resp.: Servetur consuetudo localis.

AD RITUM SERVANDUM IN CONCELEBRATIONE MISSAE

Ad n. 17:

53. Utrum concelebrantes adhibere possint parvos calices in Missa concelebrata?

Resp.: Pro concelebratione ipsius Missae paretur, secundum *Ritum servandum in concelebratione Missae* n. 17, d) « unus calix sufficientis magnitudinis; aut si talis haberi nequeat, etiam alter, ita ut sufficere possint ad communionem omnium concelebrantium ». Si unusquisque

in ipsa concelebratione Missae suum haberet calicem, potius quam Missa concelebrata esset synchronizatio plurium Missarum.

Pro communionem autem calicis eligatur unus ex modis in ipso Ritu exstantibus. Etsi usus parvorum calicum sit tamen medium ad Communionem faciendam, infusio pretiosissimi Sanguinis e magno calice in alios parvos, et ipsa forma parvorum calicum, minus apta videntur pro concelebratione. Valde proinde convenit servare ritum communionis calicis, quo concelebrantes directe ex ipso eodemque calice, etsi cum calamo aut cochleari, Communionem sumunt.

Ad nn. 76, 93 et 108:

54. Ubi debet celebrans principalis dicere: *Quod ore sumpsimus* et lavare pollices et indices dicendo *Corpus tuum, Domine*?

Resp.: Stans in medio altaris dicit secreto: *Quod ore sumpsimus, Domine*, etc., et postea in vase cum aqua parato digitos abluit dicens: *Corpus tuum, Domine*, et abstergit.

Ad nn. 77 et 78:

55. Utrum liceat diacono in Missa concelebrata ad modum « Missae cum diacono » (*Ritus servandus*, n. 95-98) assistere, ut functiones specificae diaconales exercent?

Resp.: Affirmative, secundum nn. 77 et 78 *Ritus servandi in concelebratione Missae*.

AD RITUM COMMUNIONIS SUB UTRAQUE SPECIE

Ad n. 1. 2):

56. Licetne diacono recipere sacram Communionem sub utraque specie, ad mentem n. 1. 2) *Ritus servandi in distribuenda Communionem sub utraque specie*, quando solus assistit in celebratione Missae?

Resp.: Affirmative, in Missa in cantu, ad quam *Ritus servandus* restringit Communionem sub utraque specie pro diacono: « in Missa pontificali vel sollemni ».